

C A P U T V I I I .

Nova Diarii ratio. De schedis Flaminii Vacca. Epistola ejusdem. DIES PRIMA lustrandæ Urbi deputata. Basilica S. Mariæ Majoris, de arcu Sixti III. ibidem. De templo Diana. Ædificium nobile in hortis Mæcenatianis. Arcus Gallieni. Tropæa Cimbrica. Tabernæ in villa Alteriana. Therma Helena in villa Urfinia: Anaglyphum Neptuni ibidem. Ecclesia S. Crucis. Vetus alia Ecclesia Christianorum. Porta Esquilina. Mausoleum Helena. Cancellari campi Boarii epitaphium, itemque equitis Norici. Equitum singularium sepulcrum. Ecclesia S. Laurentii & Cœmeterium. Capita Caesarum effossa aliaque monumenta. Urna Gotthorum. Pantheum Minervæ Medicæ. Nymphæum. Ecclesia sancti Eusebii, columna Maxentii.

Hic diarii novam inimus viam: quia enim tantum temporis Romæ versati sumus, singula quo ordine visa sunt diebus adscribere suis neque libet, neque alicujus operæ preiū esset. Toto illo duorum & dimidii annorum spatio, si quid vacabat à Bibliothecarum & codicum curis, explorandis Urbis monumentis dabam operam. Et cum aliquandiu nullo ordine, utque fors ferebat, modo id modo aliud visissem; quamdam denique mihi præscripsi lustrandi normam, ut viginti dierum intervallo Urbem totam percurrerem, accuratè singula circumspiciendo. Morem autem repetii quoties vel amicorum rogatu, vel meopte nutu ac voluntate Urbem revisi, ut vicenorum semper dierum curriculo totum complecterer. Eodem itaque ritu diarium Romanum nostrum parabimus. Nec fortasse deerunt queis plures vestigandæ Romæ dies infumere & singula curiosius indagare cordi erit; at iis integrum pedetentim ac morosius omnia lustrare, & binis ternisque diebus ea dispicere quæ uno complexus sum.

Præter ea quæ meis ipsè oculis observavi, quæ scilicet ut plurimum vel intacta, vel secus aut non pro merito rei nec examussim descripta